905193

Quæ res faustè, felicitèr, prosperè eveniat!

EX LIBRO IV. ILIADOS HOMERICÆ

Dissertatiunculas Latinas prosas recitandas;

&

Germanicos versus variorum generum per personas,

in

Panegyri Elisabetanâ

XXIII. Maij An. Chr. clↄ. Iↄc. XLVII.

repræsentandos,

indicit

M. ELIAS MAJOR, RECTOR.

Vratislaviæ, Typis Georgi Baumanni.

LECTORI S. P. D.

Simulq; ObserVantiam, Amorem, & officia offero.

C*um duo ſint inprimis, quæ & poëtas, & cæteros melioris notæ Auctores, commendent,* verborum *totiusq; dicendi rationis probitas atq; ornatus; &* rerum *ſub illo vocum ſermonisq; cortice quaſi latentium, varietas, & præſtantia: aput doctos quidem & Eruditos homines nulla relinquitur dubitatio, quin utroq; nomine* Homerus *laudem propè incomparabilem ſit promeritus. De verbis enim, Gratioſo illo amabiliq; ſcriptore* Maximo Tyrio *(a) judice,* καλὰ μὲν γὰρ τὰ Ὁμήρου ἔπη, καὶ ἐπῶν τὰ κάλλιστα καὶ φανώτατα, καὶ ᾄδεσθαι μούσαις πρέποντα. *hoc eſt, interprete longè digniſſimo* Dan. Heinſio: pulcra ſunt fateor Homeri poëmata, longèq; omnium pulcerrima, maximeq; illuſtria, & revera digna quæ à Muſis canantur. *Quo Encomio paucis conſtante vocibus, ſi quis prolixius deſiderat; conſummatiſſimum Rhetorem, Cenſoremq; graviſſimum* Fabium Quintilianum *audiat. Is de* Homero ita *libro Inſtitutionũ Oratoriarũ decimo: (b)* Hic (quẽadmodum ex Oceano dicit ipſe, amnium vim fontiumq; curſus initium capere) omnibus Eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate, in parvis proprietate ſuperaverit. Idem latus ac preſſus, jucundus & gravis,

a. ſermone 7.

b. cap. 1.

vis, tùm copiâ, tùm brevitate mirabili; nec poëticâ modò, ſed oratoriâ virtute eminentisſimus. *Et post nonnulla*: Qvid? in verbis, ſententiis, figuris, diſpoſitione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? Ut magni Viri ſit virtutes ejus non æmulatione (qvod fieri non poteſt) ſed intellectu ſeqvi. *Qvam ipſam excellentiam ſuſpiciens* Priſcianus, *præfatione ſyntagmatis ſui Grammatici non dubitavit ſcribere*, Homerum, unà cum Virgilio, arcem poſſediſſe Muſicæ. Vitruvius (*c*) *verò*, omnis philologiæ ducem: & Cl. Barthius, (*d*) Heliconis principem *nominarunt*. *Sed res ipſas tàm ſcito floridoq́ ſtilo deſcriptas, ſi intueamur penitiùs, tantam doctrinæ ſapientiæq́ copiam & ubertatem offendemus, ut omnium ſæculorum homines doctisſimi prudentisſimiq́ tantum Eruditionis fontem ſatis non potuerint demirari. Qvod niſi ita esſet, ut aliorum prætereAm ellogia*, Plato (*e*) *certè eum hautqvaqvam nominasſet* τὸν ἄριστον καὶ θειότατον καὶ σοφώτατον τῶν ποιητῶν. *Ut jam facillimè liceat intelligere, propter alia potius omnia, qvàm ignominiæ cauſa feciſſe* Philoſophorum illum Coryphæum, *ut tantis à ſe ornatum laudibus* poëtam, *occluſis ſuæ civitatis portis, vellet eſſe, ut cum* Plauto (*f*) *dicam*, excluſisſimum. *Nam ut verbis* τοῦ θαυμασιωτάτου Iſaaci Caſauboni (*g*) *dicam*: Plato Homerum ê Repub. ſuâ ungventis delibutum emittit, non contumeliæ cauſa, ſed qvaſi teſtatus eo facto, majorem ſe illum agnoſcere, qvàm ut locum civis in ſuâ Repub. obtineret. *Qvapropter nec ſummi*

c. lib. 7.
d. Tom. 1. Adverſ L. 17. c. 4
e. In Ionis princip. & Alcibiade 2.
f. Menæch. 4. 3. 24.
g. Exerc. 14. in Ann. Baron. cap. 12.

mi alioqvin & accuratissimi judicii Julius Cæs. Scaliger, *cui ubiq; propemodum ad* Maronem, *tantum non sordet bonus* Homerus, *suâ nos commovere poterit eruditione aut dignitate, ut magnificè de illo sentire desinamus. Primùm enim si auctoritatibus pugnatur, censuram tot sæculorum multò honorificentissimam, infinitis partibus præferendum erit, unius qvantumlibet solertis atq; ingeniosi hominis calculo. Deinde non satis videtur verum esse, cujus tu inventa superes imitando, eum hoc nomine floccifacere. Porrò ne aliunde innocenti qværamus patrocinium, ipse* Virgilius *suo, ut sic dicam,* Homerum *tutabitur clypeo. Hunc enim ille tam studiosè est imitatus, ut aut nihil planè, aut non tàm bona excogitare posse sibi ipse sit visus. Qvam causam (pace* Gloriosissimi

h. l. 11. C de LL. & Const. Princ. Imp. Justiniani *(h) ita mihi liceat loqvi)* cum jam pridem cognitionalitèr examinaverit, & velut partibus cominus constitutis sententiam *gravissimam, atq;, ut arbitror, æqvissimam,* dixerit, *qvem ut paulo ante, ita nunc qvoq; honoris & observantiæ causa nomino,* Casp.

i. Tom. 1. Adv. L. 47. C. 22. Barthius: *(i) operæ precium sit hic qvoq; eam repetere. Virgilius igitur, inqvit ille,* si non alio, in eo certè modo, Homero inferior est, qvod non tàm suum limatissimum, & prorsus incomparabile judicium, qvàm exemplum hujus seqvi voluit, perspiciens videlicet, qvicqvid post Homerum inveniri in Poëta posset, jam non publicum, sed ab eodem occupatum esse adeoq; sapientèr conditum & velut seclusum à communi mortalitatis usu, ut non nisi summo artifi-

cio

cio inde peti qvippiam posſit. Qvo ſenſu adeò ſeſe imitationi tanti viri tradidit, ut qvæ accuſari etiam bono colore valebant, ita expresſerit, ut ea etiam ipſa vituperio invidorum hominum exemerit. Et hæc Virgiliana imitatio adeò mihi omni comparationi Homerum eximere videtur, ut illum ipſum Scaligerum uno perpetuo errore totos ſuos illos divinos de Poëtica Commentarios attaminasſe ſæpius dixerim, dum Virgilium Homero opponere, aut etiam præferre molitur. Nihil enim aliud agit iſta molitio, niſi qvod in ſummâ peritiâ ſummam oſtendit imperitiam; non videns aut attendens minimè convellere Homerum ex uſu esſe Virgilium laudantis; ſed ita in hoc latino agnoſci demum posſe perfectionem, ſi perfectiorem etiam qvàm vel perfectisſima esſe posſit, in fonte, doctore, magiſtro, modimperatore, unicoq; omnis Poëſeos Apolline contemplere. Fieri enim non poteſt, ut, qvem expresſerit totâ operis tam incomparabilis figurâ, ſingulisq; & deſcriptionibus & ſententiis, & numeris, & qvoad ejus fieri potuit, etiam locutionibus, verbis ſyllabisqve & tantum non qvandoq; ipſis litteris, [qvæ omnia accuratè alibi demonſtraturi fortasſe ſumus] ex ejus contemtu aut vituperio creſcat Virgilius. Atq; hæc bona pars eſt Scaligerianæ intentionis, ne ſingula excutias. *Verum ut ad id, cujus cauſa hæc præfati ſumus, revertamur, cum hactenus aliqvandiu in* libro Iliados Homericæ qvarto *Juventuti litterariæ inculcando ver-*

satisſimus, & inter cæteras ſpartæ noſtræ ſcholicæ operas, adhuc verſemur; rectè nos atq; ordine facturos esſe duximus, ſi ad duo illa generalisſima verborum atq; Rerum *capita, qvicquid fuit, atq; eſt noſtrarũ meditatiuncularum referremus. Itaq; qvod* (k) M. Tulli9 *alicubi dicit*, ut nutrices infantib9 pueris omnes tenuiſsimas particulas atqve omnia minima manſa in os inſerũt; *nec puduit nos, nec piguit in ſingulis pænè vocibus atq; phraſibus declarandis, intimare ſpecies, numeros, caſus, modos, tempora, cæteraq; ex Grammaticorum penu deprompta, non illa qvidem tantum præ ſeſe ſplendoris ferentia, qvantum fructus atq; emolumenti occultantia. Neq; tamen ſic ſatisfeciſſe vel meo officio, vel adoleſcentiæ commodo viſus ſum. Et ob oculos qvoq; verſabantur, non in mentem tantum erant verba juſto fortasſe ſeveriora* gravisſimi viri Dan. Heinſii, *qvi oratione* Pythiis Pindari *promisſâ*, Dii eos atq; homines, *inquit*, perdant, qui ex auro tam præſtanti, pelvim primi aut matulam fecerunt: qui ne pueri in ſcholis neſcirent, cujus temporis aut modi ſit vox aliqva, modum omnem intemperantiæ ac vanitatis egresſi ſunt: tempus vero, cujus ſacroſancta eſt posſesſio, nihil agendo perdiderunt. Nam dum his intentus noſter animus, folia arborum ſectatur, aut umbram, ipſi nobis fructus intercipiuntur. *Qvid multis? Earum qvoq; rerum ad pietatem, naturam, mores, familiam, civitatem, pertinentium, qvæ pasſim in eo libro vel manifeſtò traditæ, vel tacitè alluſæ occurrebant, habita fuit ratio. Qvanqvam paucis; & ſæpe non niſi*

k lib. 2. de Orat.

nisi indice digito. Cujus instituti documenta quædam, exigua illa, hoc in tempore edere placuit, qvo in Panegyri scholasticâ solemniore, adolescentes & pueri *in theatrum producendi fuerunt.*

Adolescentum *primò humeris, qvale onus sit impositum, ut pateat; in ipso percurrendi libri vestibulo, in mentem venit, superstitionis cujusdam, risu qvidem dubium, an detestatione dignioris: qvæ tamen exercitationi nec vituperandæ, & egregiè utibili facultatem dedit & materiam. Res, ut paulò altiùs ordiamur, ita habet. Irrepsére in nobilissimam eandem, eandemq; saluberrimam Medicorum artem, superstitiosa nonnulla: qvalia num celebratissimus ille naturæ Secretarius* Plinius *crediderit, dicere vix habeo: certè recensuit.* Jecinore muris dato porcis in fico, seqvi dantem id animal: in homine qvoq; similiter valere; sed resolvi cyatho poto. Cor caninum habentem fugere canes: non latrare verò lingvâ caninâ in calceamento subditâ pollici. Ciconiæ pullum qvi ederit, annis continuis non lippiturum: item qvi draconis caput habeat. Lacrumantibus oculis mederi aranei muscarii telam, & præcipuè speluncam ipsam impositam fronti ad duo tempora, ita, ut à puero impube & capiatur & imponatur: nec is triduo se ostendat ei, cui medeatur; neve alteruter nudis pedibus terram attingat his diebus: *qvæ omnia libro undetrigesimo (l) Historiæ naturalis legere est. Singularis verò species qvædam superstitionis hujusmodi illa est, qva creditum est antiqvitus, aut etiam*

(l) capp. 4. 5. & 6.

fortè

fortè adhuc creditur, libros qvosdam sacros ne-sacros, aut etiam ex iis versiculos qvosdam scriptos, recitatos, appensos, cervicali suppositos, certis morbis aut incommodis aliis mederi. (m) S. Augustini *tempore, qvibus caput dolebat, ad caput Evangelium posuere. Geminis pestibus averruncandis* B. Chrysostomi(n) *ævo, Evangelia scripta vel è collo, vel juxta lectos appendebantur.* Salomon Gesnerus *in vers. 11. cap. 43. Genes. qvi versiculus de muneribus agit à Jacobo mittendis Principi Ægyptiorum,* Mitto, *inqvit*, Rabbinorum nugas qvi de hoc versiculo commenti sunt, esse illum amuletum, adversus bellum, & alia qvævis pericula: ita ut si qvis locum peste infectum, aut aliis periculis obnoxium ingrediatur, & istum versiculum ter pronunciet, planè immunis evadat. M. Servilius Nonianus Princeps civitatis, *iterum commemorante* Plinio, (o) non pridem in metu lippitudinis, priusqvam eam ipsam nominaret, aliusve ei prædiceret, duabus litteris Græcis *P.* & *A.* chartam inscriptam circumligatam lino, subnectebat collo. *Tale igitur & in* Homeri *versus aut libros expetiit. Versus* qvintus & nonagesimus lib. β Iliad. *hanc habere vim creditus est, ut pronunciatus dolores artuum & podagræ levet. Hoc vero* qvarto Iliados libro, *olim ridiculè putabant, si capiti esset suppositus febrem qvartanam arceri. Ut superstitionem hanc, qvanta qvanta est, qvæ certè levissima est & vanissima, meritis sumo ejusdem & ridemus & vituperamus, & qvantum in nobis est, damnamus: ita siqvidem* librorum Homeri-

m. Tract. 7. in Joh.

n. Homil. 73. oper. imperf. & Homil. 43. in 1. Corint.

o. lib. 22. cap. 2.

mericorum ſuppoſitio *ulla probanda eſt, eam approbamus, quâ* Alexandrum *illum non magis nomine qvam virtute Fortunaq́ʒ* Magnum *uſum eſſe accepimus. Hic enim non eâ fini eoq́ʒ conſilio, ſuo qvieſcentis capiti* Mæoniorum carminum *ſubſternebat volumen, ut febrim illam, qvæ eruditiſſimo pöetarum ſæculi* Friderico Taubmanno: *(n)* n. Schediaſm. p. 417.

Filia Saturni, & furiis tribus addita *QVARTA*,
Et ſtygiis alita eſt, & phlegethontis aqvis;

Sibi defenderet: ſed cùm Homero, *qvem ſummum virtutis præconē, & pöetam* βασιλικὸν *appellare conſuevit, (o)* o. Eraſm. lib. 8. Apopht. *cujus carmina, non ad citharam, ut aliorum, ſed ad tubam potius canenda eſſe cenſebat, præter modum delectaretur, cùm interdiu illum ad verbum edidicit, tùm noctu etiam dormiens cervicali ſuppoſitum habebat: eapropter nimirum teſte* Juliano Imp. *(p) in Epiſtolis,* ἵνα δὴ ϗ νύκτα καὶ μεθ' ἡμέραν αὐτοῖς τοῖς πολεμικοῖς ὁμιλῇ συνθήμασιν, ut noctes & dies in bellicis ejus libris verſaretur. p. Epiſt. ad Maximū Philoſophū. *O laudabilis (exclamare enim libet) ô perqvam fructuoſa* ſcriptorum ſubſtratio Homericorum! *qvam non vanitas peperit, ſed prudentia; non ſuperſtitionis amor, ſed Eruditionis cupiditas ſtimulavit: qvâ non corporis morbi depellendi, ſed animi incolumitas conſervanda fuerat. Qvod Alexandri Exemplum cum & Regi ipſi ſit glorioſiſſimum, & aliis* I. *certâ ratione imitandum Principibus:* primam hinc diſſertationem de Principibus librorum & litterarum amatoribus & patronis *naſci voluimus.*

Porrò cum Homerus initio hujus qvarti libri *co-*

 mi-

mitia Deorum in palatio Jovis celebrata describat, in qvibus illi, deliberato, qvid hâc rerum facie inposterum videatur factitandum, bellum nè perseqvendum, an pax componenda; tandem eversionem urbis gentisq; Trojanæ decernunt: indubiè bellorum causam principem, qvatenus qvidem illa sub pænæ ratione considerantur, in cœlis potius qvàm in terris qværendam esse. Id qvod clarius adhuc innuit v.84. Jovem ἀνθρώπων ταμίαν πολέμοιο, *quæstorem seu dispensatorem belli hominum esse asserens. Qva in re ita pöetæ nostro astipulatus est* Justus Lipsius, *ut totum versum nostro etiam vero atq; uni Deo accommodaverit,*

q. Cent. 4. Epist. 65. *cum ita ad* Hermannum Comitem â Manderscheit *scriberet: (q)* O quam mecum omnes boni pacem vovent! vovent, sed, ne mentiar, spe frigidâ, cum aut illa, aut nostra vident, parum vel inclinata, vel allicientia ad qvietem. Sed mutare hæc potest supremus ille

Ζεὺς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται. *Mutet, mu-*

II. *tet! Hinc* secundæ dissertatiunculæ *materia*, Bella non sine providentiâ Dei geri. Ut simul verè esse πόλεμόν τε κακὸν καὶ φύλοπιν αἰνήν; bellum malum vel perniciosum præliumq; grave, aut horribile, ut pöeta versu qvindecimo *nominavit, paucis declarabitur.*

Sed in eâ ipsâ Oratione, qvâ Jupiter finem belli, Tro-

r. Job. 26. 8. & 36. 27. Psal. 135. 7. & 147. 8. *jæ excidium decernit,* Pöeta *eum* νεφεληγερέτην *nuncupat. Qvod nomen Latinè* Nubium coactorem, *vel unâ forsit voce,* Nubicogum, *efferre possis. Sanè ab hâc nubium cogendarum potestate sacra etiam oracula (r)* Deum

opt.

opt. max. *describunt, in primis apud plurium rerum naturalium admirandum descriptorem* Jobum, *& in aureo* Davidicorum Hymnorum *syntagmate. Aliam etiam tituli hujus causam exponens idem* Lipsius; *(s)* Caligo, *inqvit*, mentis humanæ, in nullâ re magis, qvàm publicâ apparet: sive qvia Principes ipsi, & eorum consilia recondita, tecta, sive qvia fata, & illa implexa rerum series, semper in obscuro. Homerus & prisci Jovem in nubibus habitantem κελαινεφῆ, νεφεληγερέτην *(t)* appellant: ab hâc ipsâ causâ qvâ decreta & consilia ejus obscura, nec pervia humanæ menti. Hinc tertia dissertatiuncula, *primum qvidem* de rebus divinis multum, *ut* Cato Uticensis *(u) dixit*, caliginis habentibus, *tùm verò de* consiliis principum *aget, sæpe ita arcanis tectisq́, ut non defuerint, qvi*, si consiliorum suorum interiores tunicas conscias sentirent, continuo eas cremari juberent. *(x)*

s. Cent. 6. Epist. 39.

t. atrinubum, nubicogum

III.

u. Lips. Const. 2. 15.

x. Valer. Max. 7. 4. Funccius lib. 10 Comm. ad A. C. 1282.

In Comitiis illis, qvæ dixi, Cœlestibus, cum Jupiter primus suam diceret sententiam, censebat, urbem Trojæ servandam, Helenamq́ Menelao reddendam. Sed ei non sine indignatione amarissimâ resistens Juno, Priamum cum filiis perdendos affirmat. Jupiter igitur conjugis iracundiæ aut furori potius cedens, Trojani nominis eversionem permittit, hoc ideò se facere asserens versu 37. *ne ex jurgio hoc inposterum maxima simultas oboriatur. Hinc qvarta dissertatiuncula de* Concordia Conjugali, jurgiis non turbandâ, *aget. Bene de hâc ex* Plutarchi *præceptis Connubialibus* Fr. Taubmanus: *(y)*

IV.

y. Sched. pag. 253.

— — Majorum cana vetustas

 Juno-

Junoni si qvando Jugæ mactabat honores,
Evulsum pecudi fel projiciebat ab arâ:
Sic bilis, sic ira procul, sic jurgia cedant,
Mutua legitimi faciunt ubi sacra mariti.

Verum non â conjugibus solum, sed si fieri possit, ab hominibus universis omnibus lites contentionesq; removendæ sunt. Et qvod Juno hîc suo Jovi, versu 62. *id oborto fribusculo* z. Erasm. *qvocunq; alter debebat dicere alteri:*

Adag. 3. Qvin magis alteri in his rebus cedamus uterq; , (z)
8. 19. Tu mihi, contra ego deinde tibi.

a. Centr. *Ex* Lipsio *(a) hic votum monitumq;* Rudolphi Primi Epist. 78. Austriaci *audiamus.* Cui cum lites plures cum pluribus essent, una atq; altera gravis cum Abbate Sancti Galli, tunc potente: accessit ultrò, & invocatus ad ejus convivium. mirante illo atqve aliis (nam & inimicitiæ, vt solent, ex lite ortæ erant) ipse constanter persedit, & fine convivii cum Abbate seorsim locut⁹ transegit, & pacem cum eo pepigit: ita fidam, ut Abbas posteà auxilio etiã ei in bellis fuerit, qvæ minuta (nam comes adhuc erat) cum vicinis habebat. Sed vox ejus abeuntis excepta â familiaribus est, totidem his verbis: (Quicunq; tres lites habet, duas, si possit, componat: hoc est meum consilium.) Et herculè, meum, ô Rudolphe; sed hoc ampli⁹, etiam tertiam ut nullum caput huic Cerbero supersit. *Hinc campus* de Litium fuga *dicendi* qvintæ *apertus* dissertatiunculæ.

V. *Tum alibi passim in suâ poësi, tùm in* nostri libri v. 69. Homerus verba alata *seu* volucria πτερόεντα *nominitat. Rectè. Facilè enim avolant, at revolare nesciunt. Qvamvis etiam* λόγοι ἄπτεροι *sint, verba sine pennis,* (β)

qvæ

qvæ premit aput se, qvi audivit, nec sinit ad alios avola- β. Erasm. Adag. 3. 1.18.
re. Cui qvidem rei pluribus exponendæ sexta *occupata* VI.
erit dissertatiuncula.

Jusserat Jupiter Minervam cœlo delabi, operam datum, ut Trojani, læsis Græcis, fœdus dirumperent. Dictum factum, Hinc versu 75. & seqq. *descriptionem legere est, non tàm Cometæ, seu stellæ crinitæ, qvàm stellæ cadentis, &* longâ, *ut* Seneca Tragicus (γ) *loqvitur,* Flammâ semitam trahentis, *cui Pallas illa comparatur, cœlo præcipitans. Convenientia utriusq; est in motu repentino, & propè momentaneo. Stella verò cadens meteorum hoc, non est, sed dicitur saltim.* Illud *enim ait* Seneca stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliqvid illis auferri & abradi. Nam si hoc fuisset, jam defuissent. *Sed ut proinde sit, sive comatum, sive volaticum sidus descriptum hoc loco iverit* Homerus: *non magis consideratione, qvam laude dignum est, qvod meteori causam nō secundariam aliqvam finitam; sed primàriam infinitam, Deum, inqvam, allegat. Etsi enim in Jove Saturnio nominando errat: id tamen rectè vidit, sublimium illarum rerum causam in sublimiore qvodam principio, qvam natura condita est, inqvirendam esse. Sed qvicqvid sit; profuerit tamen in hoc genere, non magis humanæ sapientiæ, sæpenumerò defectæ, qvàm indeficienti abysso (δ) divinissimarum scripturarum auscultare, &* nebulas, *&* nubes, *&* pluvias, *&* iridem, *&* ventos, *&* grandinem, *&* tonitru, *unipræpotenti cœlorum* Numini *assignantium. Atq; in hoc*

γ Troad. v. 358.

δ *Amos.* 4. 12. & 13. *Psal.* 147. 8. *Iere.* 14. 22. *Gen* 9. 13. *Hagg.* 2. 18. *Iob.* 17 2.

DEI

VII. *DEI jure vindicādo* ſeptima *verſabitur* disſertatiūcula.
Verum tempeſtas & illa fuit, cum à Pandaro Trojano Mycenarum Rex *Menelaus vulneraretur. Actum jam erat de vitâ, ſi dii obliti fuiſsent Principis. Sed* oblitos non fuiſse, *affirmat* poëta verſu 127. & ſeq *Qvinimmò* — non ſecus atq; genitrix

ε. Eraſ. Adag. 3. 8. 20.

Muſcam arcet puero ſomno officioſa cubanti:(ε)

Sic Minerva, Pandari ſagittam arcuit, ab interiori corpore Menelai, cutem duntaxat ejus passa ſtringi. Pingatur hæc hiſtoria; inſcribi eqvidem jusſero: Eſt princeps
VIII. magni maxima cura DEI. *atq; hoc argumentum erit* octavæ disſertatiunculæ.

Et verè & ſvavitèr de fraternâ charitate ex Pſalmo 133. PhiloMela Germaniæ *(ζ) cecinit:*

ζ In Epigram.

Et dulce & firmum eſt fraterni fædus amoris;
Cordibus hanc ϛοργὴν indidit ipſe DEUS.

Hujus illuſtrisſimum exemplum eſt admirabilis pietas Agamemnonis, adverſus IX. *Germanum* Menelaum, verſu 155. ſeq. *de qvo aget* nona disſertatiuncula.

Inſignes duas ſententias de perjurii mendaciiq; pæna hîc eſt legere: alteram v. 160. ſeq.

Qvod ſi continuo DEUS haut perjuria plectit,
Attamen id tandem faciet, qvo maxima pæna
η In caput auctoris, ſociam, natosq; redundet. (η)

alteram v. 235. *interprete* Caſaubono *Epiſtola ad Frontonem Ducæum* (θ)

Qvi fidunt falſis, nunqvam his DEUS auxiliatur.

η VVilh. Godolevæus Notis in Liv. pag. 162.

Utraq; materia propter cognationem conjungetur in disſertatiunculâ decimâ.

Arcesſitus Menelao ſuppetias venit Machaon, Æſculapii filius, Podalirii fratet, Apollinis nepos: qvi omnes medicinæ *floruere laudibus*: verſ. 193. ſeq. *De* vetuſtis hiſce medicinæ auctoribus, cum ejusdem laude, *nonnihil* undecima *tractabit* disſertatiuncula.

θ pag. 47.

X. *Deniq; cum ſummus Græcanicarum copiarum Dux Agamemnon cohortes ſuas pedes obiret; currus eumſeqvebatur, qvo uti posſet, ſi* labore tàm multis imperandi delasſaretur: verſu 230. *Innuitur, ſine controverſiâ Communis,*

ut

ut vocant, locus, de laborib9, onerib9, molestii, magistratus: *cujus argumenti tractatio* duodecimæ *atq; in præsens* ultimæ *relicta est* dissertatiunculæ. XII.

Atq; hoc pensum ab Adolescentibus duodecim *Latino, eoq; ut Græci nont, pedestri sermone accurandum fuerit. Qvibus accedent, aut potius inse-* octo pueri, ex libri Homerici *exactè dimidiati parte priore*, Oratiulas Jovis, Junonis, Militis cujusdam, Minervæ, Agamemnonis, nelai, Talthybii præconis, & Idomenei Cretensium copiarum du-, *planè diversis carminum Germanicorum generibus recitaturi. Qvorum ut* *amati juvando sit, & qvasi animando Exegeta qvidam, unus ex superiorum adolescentum grege*, Homeri personam *sustinebit. Nomina omnia exercentium, succedanea exhibebit series.*

Cæterum, iis omnibus peractis, qvoniam iterum Nobilissimo, Strenuo Sapientissimoq; Senatui Inclutissimæ hujus Vratislaviæ, *magnificâ suâ munificentiâ declarare placet, qvantopere litterariæ juventutis studiis faveat:* Splendidissimo Ejusdem nomine *ARGENTEA PRÆMIA DILIGENTIÆ ornandæ pariter atq; exstimulandæ, mihi, σὺν Θεῷ, distribuenda erunt. Qvod etsi haut qvaqvam elingvis facturus sum; tanta tamen erit oratio, ut metuendum non fuerit, ne Auditores copiam pertæsi clament: Ohe jam satis est.*

Qvod superest, qvandoqvidem instituti hujus nostri universi prora atq; puppis, secundum Clementissimi, Potentissimiq; Numinis benignitatem, in vestra & Honorificentissimâ præsentiâ, & Benevolentissima attentione *constituta est*, Viri Magnifici, Strenui, Admodum Reverendi, Nobilissimi, Excellentissimi, Clarissimi, Ornatissimi, Doctissimiq; ; *majorem in modum à vobis peto, & contendo, ut, qvod commodo vestro fiat, die crastini horis ab octavâ matutinis in supremo Gymnasii Elisabetani Muséo conveniatis, dicturosq; vestrâ illâ prothymiâ juvetis pariter atq; ornetis: operam daturos pro virili, ut pro re natâ* Patronis *observantem & morigerum*, Amicis *promptum & paratum*, omnibus *gratum declarent animum. Interea omnes Vos & universos* Divinæ Majestatis faventiæ *commendatos volo, qvæ tùm cæteris beneficiis florentes vos faciat, tùm exoptatissimum illud ἄγαλμα* Pacis *Orbi Christiano tandem tandem post tot vota suspiriaq; restituat. O utinam brevi ex Christianissimo Poeta* Prudentio *liceat canere!*

Cornicinum curva æra silent, placabilis implet
Vaginam gladius, sedato & pulvere campi
Suda redit facies, liqvidæ sine nube diei,
Purpuream videas cœli clarescere lucem.

P. P. Vratislaviæ, a. d. XI. Cal. Iunias, An. Christ. cIↄ. Iↄc. XLVII.

Series

Series & Ordo Dicturorum & Dicendorum.

Christianus Fölckel *Vratisl.*
Daniel Franck *Vratisl.*
Christianus Titius Jauranus.
Johannes Seydel *Laubanus.*
Carolus Ortlob *Olsnensis.*
Christophorus Profius Landishutt.

Sermone Latino pedestri disserent de

Principibus litteratis.
Providentiâ divinâ in bellis.
Principum consiliis absconditis.
Concordia conjugali jurgiis non turbanda.
Litium fuga.
Verbis alatis seu volucribus.

Idem Carolus Ortlob.
Johan. Joachimus ab Haunold.
Christophorus Albertus Vratislaviensis.
Johannes Bartsch *Vratislaviensis.*
Christophorus Freywald *Vratislaviensis.*
Johan. Daniel Major Vratislaviensis.
Johan Christophorus Kretschmar *Vratisl.*
Michaël Döring *Vratislav.*
Carolus Henricus Blacha â Lub.

Carmine Germanico repræsentabunt personam.

Homeri.
Jovis.
Junonis.
Militis cujusdam.
Minervæ.
Agamemnonis.
Menelai.
Talthybii.
Idomenei.

Christophorus Blümelius Bulcoluc.
Andreas Girßner *Vratislav.*
Fridericus Ortlob *Olsnensis.*
Balthasar Copisius Reichenbach.
Fridericus Volgnad *Vratislav.*
Zacharias Rampusch *Vratislav.*

Sermone Latino pedestri disserent de

Meteororum causâ DEO.
Curâ DEI de Principibus.
Amore fraterno.
Divinâ perjurii & mendacii pœnâ.
Laude, & priscis auctoribus Medicinæ.
Difficillimo onere magistratus.